



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

56. An & qualiter iusp. hæreditarium per hæreditariam successionem transire possit ad monasterium seu religionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Questio 54. Vtrum juspat. transeat in feudatarium seu Emphyteutam, si castrum, cui annexum est, infundetur vel detur in Emphyteusim?

Respondeo affirmative. Barb. loc. cit. num. 240. citans Azor. p. 2. l. 6. c. 20. q. 12. Campan. loc. cit. num. 361. de per se autem dari nequit in feudum. c. cum secundum. c. ex literis. h. t. Barb. ibidem num. 241. Lamb. loc. cit. q. 2. a. 29. num. 35.

Questio 55. An publicatis & fisco additis omnibus bonis patroni ob crimen, jus quoque patronatus transeat ad filium, an vero remaneat apud filium illius aut heredes?

1. Respondeo: dum juspatro. reale est, seu annexum castro, vel aliis bonis, in dicto casu etiam transire ad fiscum saecularem. Etsi enim Princeps saecularis non possit per se ac directe privare patronum jurep. ob delictum patroni; quia laicus juspatr. habet non ex concessione Principis saecularis, sed Ecclesiae; si tamen bonorum universitas cui jusp. annexum est, confiscetur, tunc accessorie & indirecte etiam jusp. ad fiscum transit, & nullatenus remanet apud filios aut heredes: non secus ac si inter duos laicos lis esset super bonis, quibus jusp. adheret dicta per judicem laicum, ad quem cognitio spectat, de bonis sententia, ejus virtute consequenter jusp. transit in victorem.

2. Si vero jusp. est personale, seu per se, & singulariter consistat, non annexum ulli castro vel aliis bonis, tunc, cum sub confiscatione omnium bonorum non contineatur, remanebit penes delinquentem, donec is eo privetur per sententiam judicis. Garc. p. 5. c. 9. num. 26. & seg. citans Aufreum de potest. saeculari. Reg. 4. Gigas & alios relatos per Lamb. & Roch. Barb. loc. cit. num. 238. seg. Pirh. num. 57. citans Abb. in c. cum laici. h. t. num. 3. Azor. dicto c. 20. q. 14. Barb. in c. ex literis. h. t. num. 9. Porro post latam sententiam privatoriam judicis Eccles. juspat. hereditarium transmissibile ad heredes, etiam extraneos, exspirat, & Ecclesia manet libera, si vero jusp. est sanguinis, & pertinet ad familiam, transibit ad consanguineos juxta dispositionem fundatoris. Garc. loc. cit. num. 29. ex eo Pirh. cit. num. 57. Non secuta tamen dicta sententia privatoria jusp. hereditarium transit ad heredem ex testamento, vel ab intestato ipsius condemnati, eo defuncto, praterquam ob crimen heredis. in quo ipso jure existit privatus. Garc. num. 30. & 31. plura de hoc infra, ubi de amissione Jurispatronatus.

Questio 56. An, & qualiter jusp. hereditarium per hereditariam successionem transire possit ad monasterium seu religionem.

Respondeo: potest; idque duplici modo, Primo: Si monasterium bonorum in communi capax, instituat heres a patrono laico, tunc enim cum universitate bonorum hereditatis accessorie transibit. Secundo: si patronus laicus fiat religiosus, per talem ingressum omnia ipsius bona acquiruntur monasterio, adeoque & jusp. Pirh. num. 59. citans Tamb. de jure Abb. ro. 3. d. 9. q. 28. num. 1. & efficitur Ecclesiasticum, ut dictum supra. Lott. l. 2. q. 11. num. 26. Si tamen Jusp. jure sanguinis delatum sit ad patronum, qui religio-

P. Lewren. Fori Benef. Tom. 11.

nem ingressusest, monasterium jus presentandi habebit tantum durante vita monachi, & post ejus obitum transibit ad illius consanguineos. Pirh. ibid. ex Tamb. loc. cit. num. 2. & Garc. p. 5. c. 1. n. 555.

Questio 57. An jus patronatus transferatur cum hereditate sine consensu Episcopi?

Respondeo affirmative, quia transit cum universitate bonorum. Corrad. l. 4. c. 5. num. 3. citans Vivian. de jurep. l. 4. c. 1. num. 17. Roch. & c. Sic quoque non egetur consensu Ordinarii in fidei commissaria dispositione pro juspat. inclusione, sive dum ex mente testatoris transit in fideicommissarium universalem. Card. de Luca. de jurepat. d. 60. num. 4. Secus est de jurep. quod titulo legati, seu quovis titulo alio particulari transfertur in laicum; necessarius enim est tunc consensus Ordinarii. Corrad. loc. cit. num. 5. Non tamen is est necessarius, ubi principaliter & de per se transfertur in Ecclesiam vel locum religiosum. Corrad. num. 6. idem est de fidei commissio particulari, quod principaliter ac singulariter ordinatur super ipso jurep. in favorem, utpote quod importat idem, quod legatum, ac propterea & illius & donationis jure regulandum exigit Ordinarii consensum, de Luca. ibid. Non tamen, ubi agitur de jurep. reali, seu annexo castro, super quod principaliter substantiatur legatum vel fidei commissum, opus est hoc consensu; uti nec, dum ordinatur hoc fideicommissum principaliter super ipso jurepat. in favorem compatroni. vel Ecclesiae. Card. de Luca. loc. cit. d. 56. num. 5.

Questio 58. An quasi possessio jurispat. seu presentandi (qualem habet patronus putativus, & qualis acquiri potest etiam ex unica presentatione, facta nimirum bona fide & animo utendi jure suo, sciente & patiente illo, in cujus praesentiam queritur possessio & admissio, dum vi illius instituitur rector, isq. habitus tanquam rector in possessione Rectoriae, de quo vide Barb. juris Eccl. l. 3. c. 12. a num. 186.) transeat ad heredes absque nova apprehensione?

1. Respondeo negative. Barb. ibid. num. 19. citans plures Rota decisiones. Corrad. l. 4. c. 4. num. 17. dicens, hanc sententiam in notoria praxi receptam, & a Rota semper tentam. Item Card. de Luca in summ. juris. num. 84. dicens, non suffragari in hoc laicalia statuta decernentia, continuationem possessionis defuncti in heredem; cum non detur laicis potestas in hujusmodi spiritualibus decernendi. Contra Lamb. p. 1. l. 2. d. 22. q. 3. & Roch. eo quod sicut in corporalibus possessio non transeat ad heredes, etiam suos seu non externos, siue nova apprehensione, ita nec in corporalibus; quia cum possessio sit quid facti, & ea, quae facti sunt, factum exigant, non potest transferri de una persona in aliam; nec dicitur acquisita, nisi corporaliter apprehendatur, adeoque nec in istis incorporalibus quasi possessio transit sine actu facti. Unde licet testator jam praesentaverit semel modo dicto, tamen ista quasi possessio non est translata in ejus filios, aliosve successores seu heredes siue nova apprehensione, id est, sine novo usu seu exercitio juris presentandi, adeoque hanc quasi possessionem non potest